



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Censuris, In Qua Sex Disputationibus De Poenis Ecclesiasticis, deque  
Irregularitate fusè tractatur, cum Indicibus necessariis

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

XIX. Expenditur 18. excommunicatio aduersus imponentes decimas,  
collectas, & alia onera Ecclesiasticis personis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76667)

patione aliorum bonorum, in quæ beneficiatus fructus sui beneficii permutaret. Non enim illa bona sunt propria, & formaliter fructus beneficii, sed permutacionis.

21. Quartum dubium est de usurpatione fructuum beneficii non beneficiario facta, sed conductori, An sub hoc Canone contineatur? Videtur contineri si conductor persona Ecclesiastica sit; quia persona Ecclesiastica subrahuntur fructus ei competentes ratione beneficii conducti. Sed oppositum tenendum est cum Duardo in *presenti canon. 17. questio 9. numero 7.* Bonacina *disp. 1. quest. 18. pun. 2. numero 26.* Quia esto illi fructus sint beneficii, conductori autem non ex beneficio proveniunt, cum ipse Beneficiarius non habeat, sed ex conductio. At Pontifex hoc Canone excommunicat usurpatorem bonorum pertinentiam personæ Ecclesiasticæ ratione Beneficii, Ecclesiæ, vel Monasterij. Ergo non comprehendit usurpatorem bonorum pertinentium personæ Ecclesiasticæ titulo conductiois.

## PUNCTUM XIX.

Explicatur decimo octava excommunicatio, adversus imponentes decimas, collectas, & alia onera Ecclesiasticis personis.

- 1 Refertur Textus.
- 2 Comparatur hæc excommunicatio cum aliis excommunicationibus à iure latis.
- 3 Dividitur hoc Canon in triplicem partem.
- 4 Quæ persona in prima parte huius Canonis excommunicationis subiciantur?
- 5 Ut huic excommunicationi sit locus, debent exigere, & percipi tributa imposita prætextu potestatis laicæ.
- 6 Impontes tributa realia quacunque sint extra casus à iure concessos excommunicationi subicitur.
- 7 Imponentem personale tributum non videtur improbabile sub hoc Canone non comprehendit.
- 8 Referuntur casus, in quibus à Clericis tributum licite exigitur.
- 9 Ad hanc censuram incurrendam requiritur non solum tributi impositio, sed illius exactio.
- 10 Quomodoque à Clericis hæc tributa exigantur, est locus huic excommunicationi.
- 11 Item excommunicantur qui tributum recipiunt etiam à sponte dantibus.
- 12 Exigere tributum ab Ecclesiasticis, quod non ipsis, sed laicis impositum est hæc excommunicatione non puniuntur.
- 13 Tributum impositum Clericis, & ab eis exactum etiam si exiguum sit, hæc excommunicatione puniuntur.
- 14 In secunda parte huius Canonis excommunicantur qui per se, vel per alios imponunt, exigunt, vel recipiunt tributum.
- 15 Item excommunicantur qui prædicta procurant, in eisque auxilium, consilium, vel favorem præstant.
- 16 In tertia parte innotantur decreta super his à sacris Canonibus lata.
- 17 Ex vi huius innotationis censet Bonacina censuras innovatas non reservari.
- 18 Verius est reservationem Bulla accipere ex hac innovatione.

DECIMO OCTAVO eandem excommunicationem præcedentium Canonum pronunciat Pontifex ad eos qui collectas, decimas, tallias, præstantias, & alia onera Clericis, Prælati, & aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & proventibus huiusmodi absque simili Romani Pontificis speciali, & expressa licentia imponunt, & diversis etiam exquiritis modis exigunt, ac sic imposita etiam à sponte dantibus, & concedentibus recipiunt. Necnon qui per se, vel alios directè, vel indirectè prædicta faciunt, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cuiuscunque sint præminentia, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status. etiam si Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, & alij potentatus quicunque etiam Regni, Provinciæ, Civitatis, & quoquo modo Præsidentes, Consilij, & Senatores, aut quavis etiam Pontificali dignitate insigniti. Innovantes decreta super his per sacros Canones, tam in Lateranensi novissimè celebrato, quam aliis Conciliis generalibus edita etiam cum censuris, & penis in eis contentis.

Nulla alià vi frequentius Ecclesiasticæ personæ vexari solent à potestate laicâ quàm gabellarum impositione, ideòque Pontifex præsentis Canonis protegit quælibet illorum bona à sæculari tributo. Et vt firmior sit hæc defensio innovantes

uar decreta censuras, & penas in Conciliis generalibus edita, super his quæ in huiusmodi Canone Bullæ exprimitur. Notandaque est illa dictio *super his*. Non enim omnia decreta de immunitate bonorum Ecclesiasticorum loquuntur innovantur, sed solum decreta, quæ de continentis in hoc Canone loquuntur, & quatenus de his mentionem faciunt. Vt rectè aduertit Tolerus libro 1. *Summa c. 30. n. 2.* Sayrus *lib. 3. thesauri c. 22. num. 11.* Sur. *disp. 2. r. n. 4. de censur. sect. 2. n. 100.* Bonacialis *ralati disp. 1. q. 19. p. 4. n. 4.*

In primis namque innovatur Textus in capite non minus. & capite adversus de immunit. Ecclesiar. repote editi in Concilio generali Lateranensi. At non censetur innovatus nisi quatenus prohibent impositionem, & exactioem tributi, quia hæc actiones tantum in Bulla continentur. Non vero innovantur quatenus excommunicationem ferunt adversus successorem imponentis tributum, nisi per ipsum fiat satisfactio intra mensem, vel ex bonis communicatis, si in eius utilitatem tributum conversum est, vel communitate deficiente ex bonis sibi à predecessore relicta, repote qui onera bonis predecessoris annexa subire tenetur. Quia in huiusmodi Canone nulla est mentio facta de restitutione, sed de impositione, exactioe, & receptione tributi. Neque etiam innovatur capite *quamquam de censuris libro 6.* ea parte qua loquitur de solventibus tributum, quia Bullæ Textus nullam solventium mentionem fecit. Minus innovatur Textus in cap. Clericis de immunit. Ecclesiar. & Extravagans *quod olim eodem tit. quia hæc per Clementem V. in Clement. quoniam redacta sunt ad dispositionem Concilii Lateranensis. In cap. Non minus, & cap. adversus de immunit. Ecclesiar. ob tollenda dubia, & conventiones ortas ex dispositione dicti Clerici, & Extravag. quod olim.*

Triplitem partem hic Canon continet. Prima fert excommunicationem adversus imponentes, exigentes, vel recipientes tributum sine speciali Romani Pontificis facultate. Secunda eandem excommunicationem profert contra patentes per se vel alios directè, vel indirectè prædicta crimina. Item contra id procurantes, vel auxilium, consilium, vel favorem præstantes. Tertia innovat sacros canones in Conciliis generalibus editos de hac materia loquentes penas, & censuras ibidem contentas.

Quoad primam partem attinet excommunicationi subicit Pontifex quocunque quavis autoritate etiam Regali, vel Pontificali fulgentes qui personis Ecclesiasticis, & eorum & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & proventibus absque eius speciali, & expressa licentia, collectas, decimas, tallias, præstantias, & alia onera imponunt, & diversis etiam exquiritis modis exigunt, aut sic imposita etiam à sponte dantibus, & concedentibus recipiunt.

Vt autem locus sit huic excommunicationi hæc actiones imponendi, exigendi, & recipiendi tributa imposita præstari debent prætextu potestatis laicæ suæ à laico, sive à Clerico præstentur, quia hic Canon repote præcedentibus annexus in defensionem Ecclesiasticarum personarum, & bonorum Ecclesiasticorum laicus est adversus laicam potestatem; ab hac enim Ecclesiastica libertas, & immunitas violatur. Secus verò ab ipsamet Ecclesiastica potestate, tametsi iniustitiam committat, & sacrilegium, cum tributa aliis personis Ecclesiasticis indebitè, & contra sacros Canones imponit. vt bene Filiucius tractatus 16. capite 11. questio 3. numero 300.

Qui verò tributa realia, quacunque sint, imponit extra casus à iure concessos, & absque speciali, & expressa Romani Pontificis licentia huic excommunicationi subicitur. Nam esto Textus tantum expresse collectas, decimas, tallias, præstantias, repote tributa frequentiora, non obinde intertur vestigal, gabellam, pedagium, quidagium, & aliud simile tributum non comprehendit, quia hæc similia sunt expressis, & Pontifex vt ea comprehenderet, addidit *et alia onera*, id est quælibet alia onera, quæ expressis fuerint similia: nam illud relationem alia, rem distinctam ab antecedenti significat, eiusdem tamen qualitatis, & conditionis. Argum. *cap. sedes de Rescriptis. & leg. quidam relegatus. ff. de Rebus dubis.* Et pluribus comprobatur August. Barbola, in *his de off. dicit. 17.* Atque ita tradit ex communi sententia Syoest. verbo *Gabella. 4. in princ. Duard. lib. 2. cap. 18. q. 2. c. 12. Bonac. 3. de censur. disp. 1. q. 19. p. 1. num. 2.*

Notanter dixi *realia onera*: nam si tributum aliquod personale consistens in aliqua personali actione Ecclesiasticis personis imponeretur, non videtur improbabile sub hoc Canone non comprehendit; quia hoc tributum non est simile tributi expressis, ac proinde contineri nequit sub illa dictione *et alia onera*. Vt tradit Hugolin. in *presenti capite 18. numero 2.* Bonac. *disp. 1. de censur. Bulla. quest. 19. part. 1. num. 1.* Attamen vt bene aduertit Bonacina *vers. reservantes*, sic tributum imponens non effugit censuram laicam *can. 17. adversus condentes statuta, ordinationes, & quælibet alia decreta libertatem Ecclesiasticam derogantia.*

8 Deinde dixi hæc faciendam esse extra casus à iure expressos, & ab alijs specialibus, & expressis summi Pontificis licentia sunt enim aliqui casus in quibus à clericis tributum licite exigitur. De quibus latè tractat de immunitate personarum Ecclesiasticarum, & bonorum, p. 9.

9 Et licet ad contrahendam censuram latam can. 15. satis sufficit impositio per modum statuti, seu legis facta ad hanc tamen censuram insuper requiritur illius tributi exactio. Vt tradit Durand. can. 13. quest. 4. num. 1. Bonac. disp. 1. q. 1. pun. 1. num. 3. & 4. quia Textus videtur dictione, & quæ regulariter copulativa est, & extrema quæ coniungit postulat simul esse, ut dispositio subsistat. Argum. leg. si quis ita, ff. de verb. obligat. inquit enim Textus Bullæ: Imponunt, & diversis eorum exquisitis modis exigunt. Impositio ergo tributi, & illius exactio adesse debet.

10 Tributa vero imponi, exigique debent clericis, Prælati, aliisque Ecclesiasticis personis. Neque opus est (ut minus bene censuit Caleran. verbo Excommunicatio, cap. 39. Nauar. capit. 27. num. 128.) eam impositionem fieri clericis ratione bonorum Ecclesiasticorum. Quomodo cumque enim ipsi directè imponantur, & exigantur hæc excommunicatio locum habet, siquidem non solum prohibet tributi impositionem bonis ipsorum Clericorum quatenus talia sunt, led etiam ipsis clericis. Vt aperte constat ex illis Verbis Textus: Et omnia Clerici, Prælati, & alii personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & proventibus alijsque specialibus, expressisque Pontificis licentia imponunt, & diversis eorum exquisitis modis exigunt. Nam vt rectè Sayrus lib. 3. thesauri, cap. 1. num. 9. aperte Pontifex distinguit inter bona Clericorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum: bona autem Clericorum distinctè à redditibus, fructibus & proventibus Ecclesiarum, Monasteriorum, seu Beneficij parimonia sunt legalia, & secularia, non Ecclesiastica. Ergo etiam hæc intendit Pontifex à tributorum impositione eximersi: ita Textum in cap. quoniam de Censuris lib. 6. Atque ita tradit Sayrus loco relato, Alterius lib. 5. disp. 18. cap. 3. vers. quarto notandum. Bonac. disp. 1. de censur. bulla, q. 19. pun. 1. num. 7. Suar. disp. 2. de censur. sect. 2. num. 99. Cum hoc tamen fiat, si Clerici habeant aliqua bona titulo donationis, vel hæreditatis quibus aliquid tributum annexum est, non impeditur laica potestas ab illius tributi exactione, quia hoc tributum nec bonis Ecclesiasticis nec personis Ecclesiasticis impositum est. Neque exigitur à Clericis quatenus tales sunt, sed quatenus sunt hæredes, legatarij, vel donatarij rei cui est tributum annexum. Vt aduertit Suar. de censur. disp. 2. sect. 2. num. 99. in fine.

11 Non solum imponentes tributum personis Ecclesiasticis, vel bonis Ecclesiasticis, illàque exigentes hæc innodantur excommunicatione. Sed qui illud impositum recipiunt etiam à sponte danti bus, vt habetur in Textu, hoc est qui recipiunt tributum ab his qui nullà alia viâ vel coactione præter eam quâ seculum trahit impositio, tributum solunt, sicuti explicat, Suar. disp. 2. sect. 2. num. 99. Sayrus lib. 3. thesauri, cap. 2. num. 10. Betachin. tract. de gabell. par. 7. num. 2. J. Durand. lib. 2. can. 18. q. 1. Bonac. alios referens disp. 1. de censur. bulla q. 19. punct. 1. num. 10.

12 Exigere vero ab Ecclesiasticis tributum, quod non ipsis, neque eorum bonis, sed laicis impositum est sub hæc excommunicatione non comprehenditur, vt aperte colligitur ex illis verbis textus. Sic imposita exigunt, & solum namque exactio, & receptio tributi impositi hæc censura punitur. Sicuti ex communi sententia docuit Bonacina d. de censur. 1. q. 19. punct. 1. num. 6.

13 Sed an tributum Clericis impositum, vel ab eis exactum debeat esse in graui materia, vt imponens, vel exigens hæc censura afficiatur? Doctores dissentiunt. Nam Bonac. disp. 1. de censur. bulla q. 1. pun. 1. num. 12. censet in hæc censuram non incurrere, quia ob paruitatem materiæ credit exigentem à culpa mortali excusari. Sed contrarium longè verius existimo cum Altero lib. 5. disp. 1. q. 1. ad finem. Quia grauitas huius impositionis, & exactio non desumitur ex quantitate tributi, sed ex iniuria libertati Ecclesiasticæ facta, & ex illius contemptu. Sicuti grauitas simonia non desumitur ex quantitate pretij exhibiti pro re spirituali, sed ex contemptu, & iniuria rei spirituali factæ eam pretio temporalis coequando. At negari non potest impositionem, exactioque tributi quantumuis minimi itam Ecclesiasticum grauius lædi, vt potè qui ea actione denotatur potestati laicæ subiectus esse, & tributorum solutioni obligatus, Ergo &c. Et confirmo, si pro negotio leuis momenti Clericum ad tribunal sæculare traheres iudicandum, cui dubium erit te graue sacrilegium committere, & in excommunicationem incidere, quia ad huius peccati grauitatem non debet spectari materia, de qua iudicium est ferendum, sed ipsum iudicium, cui clericus iniquè subicitur. Sic in præsentem non quantitas tributi, sed illius impositio, & exactio spectanda est, vt potè quæ ex se libertatem Ecclesiasticam grauius lædit.

In secunda parte huius Canonis excommunicantur qui per se, vel alios directè, vel indirectè prædicta faciunt, hoc est imponunt, exigunt, vel recipiunt tributum impositum. Dicuntur autem per se imponere, & exigere qui nullo intermedio imponunt, & exigunt, per alios vero qui medijs suis ministris. Directè autem imponunt, si ipsis Clericis, vel eorum bonis Ecclesiasticis immediatè tributum imponatur, iis directè tamen si alius imponatur: ex qua impositione necessariò Clerici grauantur: vt bene explicat Carol. de Grassis de effectu clericali, sectu 3. m. 50. 77. & 146.

Deinde excommunicantur qui hæc procurant, id est qui diligentiam, & opera præstant, vt impositio, exactioque tributi ad effectum perducatur. Quapropter Officiales, & Ministri qui Ecclesiasticos citant, capiunt, accipiunt pignus, fructus sequestrant, vt tributum soluant hæc excommunicatione innodantur, quia qualibet ex his actionibus tributi exactio, & receptio procuratur. Præterea excommunicantur qui in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur; hoc est qui non verentur in imponendis, exigendis, recipiendis, seu tributis consulere quomodo, & qualiter imponenda, exigendaque sint, nec verentur imponentes, exigentesque adiuuare, tum componendo edicta illave conscribendo, vel publicando: tum assilendo exactioni, ne Ecclesiastici contradicant, tum illos manifestando, ne insoluti recedant. Vt bene tradit Hugolin. in præsentem, can. 17. vers. ac in eisdem. Albertus lib. 5. disput. 18. c. 4. Dyard lib. 2. can. 17. q. 20. m. 4. vers. 9. Bonac. disp. 1. q. 19. p. m. 1. 6. & 199.

In tertia parte innouantur decreta super his per sacros Canones tam Concilij Lateranensis, quam aliorum Conciliorum generalium etiam cum censuris, & pœnis in eis contentis. Initio huius s. notari solum renouari decreta cum censuris, & pœnis, quatenus attingunt materiam in hoc Canone contentam, hoc est quatenus attingunt impositionem, exactioem, receptionemve tributi personis, & bonis Ecclesiasticis factam.

Sed an ex vi huius innouationis censura, & pœnæ in decretis renouatis contentæ reservationem Bullæ obtineant? Non conueniunt Doctores. Bonac. disp. 1. de censur. bulla q. 19. p. 4. num. 3. negatiuam tenet partem. Tum quia innouare canones non est reseruare, sed in pristinum statum constituere, ac si aboliti non essent. At in pristino statu reservationem Bullæ non habebant. Tum quia versatur in materia pœnali, in qua benigna interpretatio fieri solet. Ex quo rectè infert Bonacina te absolui posse à quolibet sacerdote, si signatus excommunicationis Bullæ, & consocius excommunicationis iure communi inductæ, nec reseruata actionem præstitit, cui est excommunicatio annexa.

Cæterum verius censo ex vi huius innouationis censuras, & pœnas in antiquis decretis contentas reservationem Bullæ accipere. Quæ sunt sententia Toleti, lib. 1. cap. 30. n. 5. illiucij tract. 1. 6. cap. 11. q. 5. num. 303. Alterij lib. 5. disp. 19. cap. 5. vers. his omnibus. Durand. lib. 1. can. 3. q. 3. & aliorum. Ducor quia innouare legem, illiusque pœnam est illam de nouo constituere, ac si nunquam esset constituta. At pœnæ per Bullam constitutæ reservationem obtinent. Ergo eam obtinent pœnæ innouatæ vt potè per Bullam constitutæ. Neque his obest fundamentum Canonis. Admitto innouare Canones per se non esse illis reservationem imponere, sed tantum in pristinum statum constituere. At si illa innouatio simul sit reseruatio, Canonique innouentur lege reseruata, non est dubium ex innouatione reservationem accepturos. Bullæ autem constitutio, quia huiusmodi Canones innouantur reservationem continet. Ergo eam tributum Canonibus innouatis.

PUNCTVM. XX.

Explicatur decimanona excommunicatio, aduersus Iudices sæculares, qui in causis capitalibus, seu criminalibus Clericorum se interponunt.

- 1 Refertur Textus.
- 2 Finis huius excommunicationis quis dicitur?
- 3 Quæ persona sub hæc excommunicatione comprehendatur?
- 4 Non comprehenduntur qui suo consilio, auxilio, vel fauore personam Ecclesiasticam processam damnant, &c.
- 5 Quæ sint actiones hæc censura prohibita?
- 6 Quæ censuræ sit specialis Pontificis licentia, ne huic excommunicationi sit locus?
- 7 Ad hæc licentiam specialem reducuntur plures casus, in quibus iure communi permittitur Ecclesiasticas personas capere, & iudicare.
- 8 Ex mandato Ecclesiastici iudicis potest, imò tenetur quilibet Laicis suam opem præstare in processu, seu captiua Clerici.